

XI

AD MERCVRIVM

*Strophe Sapphica*

Mercurī – nam tē docilis magistrō  
Mōvit Amphīōn lapidēs canendō –  
Tūque, Testūdō, resonāre septem  
Callida nervīs,

Nec loquāx ōlim neque grāta, nunc et  
Dīvitum mēnsīs et amīca templīs,  
Dīc modōs, Lūdē quibus obstinātās  
Applicet aurēs :

Quae, velut lātīs equa trīma campīs,  
Lūdit exsultim, metuitque tangī,  
Nuptiārum expers, et adhūc protervō  
Crūda marītō.

Tū potes tigrēs comitēsque silvās  
Dūcere, et rīvōs celerēs morārī :  
Cessit immānis tibi blandientī  
Iānitor aulae

Cerberus ; quamvīs furiāle centum  
Mūniant anguēs caput ēius, atque  
Spīritus taeter saniēsque mānet  
Ōre trilinguī.

Quīn et Ixīōn Tityosque vultū  
Rīsīt invītō ; stetit urna paulum  
Sicca, dum grātō Danaī puellās  
Carmine mulcēs.

Audiat Lūdē scelus atque nōtās  
Virginum poenās, et ināne lymphae  
Dōlium fundō pereuntis īmō,  
Sēraque fāta,

Quae manent culpās etiam sub Orcō :  
Impiae (nam quid potuēre māius ?),  
Impiae spōnsōs potuēre dūrō  
Perdere ferrō.

Ūna dē multīs, face nuptiālī  
Dīgna, periūrum fuit in parentem  
Splendidē mendāx, et in omne virgō  
Nōbilis aevum :

‘Surge’, quae dīxit iuvenī marītō,  
‘Surge, nē longus tibi somnus, unde  
Nōn timēs, dētur ; socerum et scelestās  
Falle sorōrēs ;

Quae, velut nactae vitulōs leaenae,  
Singulōs, ēheu !, lacerant : ego illīs  
Mollior, nec tē feriam, neque intrā  
Claustra tenēbō.

Mē pater saevīs oneret catēnīs,  
Quod virō clēmēns miserō pepercī :  
Mē vel extrēmōs Numidārum in agrōs  
Classe relēget.

Ī, pedēs quō tē rapiunt et aerae,  
Dum favet nox et Venus ; ī secundō  
Ōmine, et nostrī memorem sepulcrō  
Scalpe querēlam.’